

*Pius PP. VI.*

## VV. FFr. Antistibus Brasiliae.

Magnam profecto curam et cogitationem suscipiendam existimavimus de eo, quod expositum nuper Nobis est charissimae in Christo filiae Nostrae Mariae Franciscae Portugalliae et Algarbiorum reginae fidelissimae nomine, ut remedium aliquid adhiberemus Brasiliae vestris populis laborantibus, quos etiam, tamquam oves suas, pastorum princeps Nobis pascendos et ducendos commendavit. Illud praeterea adjectum fuit Sacramento confirmationis, quo, ut baptizatos homines adversus communes Nostrae salutis hostes armarent ac munirent, adeo solliciti erant apostoli, eo sane plerosque in Brasilia destitui, quod Episcopus, qui ordinarius ejus minister sit, ne se ad illos conferat in abditiis ac vastis et asperimis locis fere dispersos, retineatur aut aetate affecta aut valetudine aut longitudine et difficultate itinerum aut negotiis etiam suae ecclesiae gravioribus, quae illum tamdiu abesse a sua Cathedrali non sinunt. Quae cum ita se habeant, Nobis ejusdem regiae majestatis nomine supplicatum fuit, ut de ea plenitudine potestatis prospicere istius regionis incolis velimus, pro quibus idem Dominus vitam ipsam profudit.

Nos igitur hoc tam praeclarum studium hancque tam plam Mariae Franciscae reginae in suos voluntatem ipsi gratulantes votisque ipsius, quantum cum Domino possumus, annuentes, vobis, VV. Fratres, vestra nimirum pietate, doctrina et prudentia freti, ut in sua quisque vestrum dioecesi, Presbyterum aut saecularem aut cujusvis ordinis, congregationis et instituti ab hac sancta Sede adprobati, regularem, iis quidem instructum virtutibus, quas divus Paulus requirit epistolis ad Timotheum ac Titum suis, qui in iis

cujusque vestrum dioecesis partibus, quo vos adire nequeatis, Sacramentum confirmationis chrismate per vos aut catholicum alium Episcopum gratiam et communionem Nostram et sanctae Sedis hujus habentem benedicto eodemque novo, si praesto sit, sin minus, etiam antiquo, rite administret eligere Nostrae et sanctae Sedis hujus nomine deputare et delegare possitis et valeatis, auctoritate Nostra apostolica per ipsas praesentes literas ad viginti quinque annos, valituras concedimus et indulgemus. Non obstantibus fel. rec. Pii PP. VI. Praedecessoris Nostri de registrandis in camera aliisque apostolicis atque universalibus synodalibusque et provincialibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae die 26. Jan. 1796.

(Bull. rom. Contin. t. IX. p. 609.)

*Pius PP. VII.*

Dil. filio s. Sepulchri Custodi et Guardiano Bonaventurae.

Religionis zelus, vitae ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud Nos fide dignis commendaris testimoniis, Nos adducunt, ut te specialibus favoribus et gratiis prosequamur liberales.

Christi itaque fidelium latini ritus catholici, qui in locis degunt Terrae Sanctae, ubi tu s. Sepulchri Domini Nostri Jesu Christi custos guardianus existis, spiritualibus indigentibus opportune consulere teque, de cujus fide, zelo et virtute plurimum in Domino confidimus, specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, tibi extraordinariam facultatem conferendi Sacramentum confirmationis auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus et impertimur, sub lege tamen atque

declaratione, quod tu Sacramentum hujusmodi nec administres nec administrare valeas, nisi praedicto tuo durante munere nisiue catholicis latini ritus dumtaxat in Terra Sancta ejusque districtu habitantibus, nullatenus vero catholicis aliorum Rituum, pro quibus confirmandis nullam tibi potestatem conferre intendimus, immo eam, si forte alias custodibus et guardianis pro tempore s. Sepulchri concessa exstiterit, expresse adimimus et in hac parte quibuscumque apostolicis literis rom. Pontificum praedecessorum Nostrorum ac praesertim constitutioni sanctae mem. Benedicti XIV. Nostri itidem praedecessoris, quae incipit: *Demandatam*, penitus derogamus, quodque tu hujusmodi facultate utaris, utique debeas in omnibus et per omnia semper ad normam instructionis per memoratam Congregationem die 4. Maii anno 1774 editae, tibi injungimus atque praecipimus salva praemissis in auctoritate eorundem Cardinalium.

Datum Romae die 14. Jan. 1806.

(Bull. r. Contin. t. XII. p. 405.)

*Pius PP. VIII.*

Quum sicut Nobis exponi curavit venerabilis frater Episcopus Syracusanus tanta sit cujusdam epidemici morbi in civitate Syracusana grassantis vis et plures infantes illa absumuntur ac proinde memoratus Episcopus, qui diuturnis valetudinis incommodis est obnoxius et dioecesis distentus curis non sine gravi difficultate plures in dies infantes morti proximos confirmatione inaugurare possit, suppliciterque a Nobis petierit, ut suo Vicario in spiritualibus generali dilecto filio Salvatore Amorelli Presbytero et Canonico illius Cathedralis ecclesiae facultatem conferendi Sacramentum confirmationis durante saltem epidemico praefato morbo benigne ei concedamus,

Nos igitur Episcopi oratoris votis benigne annuentes praedictumque Vicarium speciali beneficentia prosequi volentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati praefato Presbytero Salvatore Amorelli durante morbo epidemico praedicto et intra limites Syracusanae dioecesis ac in exercitio muneris vicariatus generalis facultatem extraordinariam et potestatem conferendi Sacramentum confirmationis adhibito oleo per catholicum antistitem, gratiam et communionem Sedis hujus apostolicae habentem benedicto, pueris morti proximis, lustralibus aquis ex S. R. E. ritu prius ablutis, auctoritate apost. tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 28. Sept. 1830.

(Bull. r. Contin. t. XVIII. p. 145.)

## 16) Defunctus.

## a) Crux, Patena, Calix.

Vd.: *Sepultura Sacerdotis def.*; *Absolutio Sacerdotis def.*; *Sepult.* (Clericorum, Canonicorum).

Cadavera Sacerdotum in aliqua dioecesi deferuntur induta paramentis sacerdotalibus atque in manibus habentia calicem cum patena intra cuppam elevata. Sunt qui contradicunt volentes, quod cadavera Sacerdotum perinde ac cadavera laicorum habeant dumtaxat manus ante pectus conjunctas interque digitos parvam crucem cum imagine Crucifixi. Quaeritur: an liceat consuetudo in hac dioecesi servata ponendi calicem cum patena in manibus cadaverum Sacerdotum, dum a domo sua deferuntur ad ecclesiam, et in ea expleantur Exequiae, vel talis consuetudo eliminanda sit?

Et S. eadem C. respondendum censuit: Tolerandam esse utpote antiquitati conformem.



Atque ita rescripsit, declaravit, indulsit servarique mandavit.  
n. 5950 ad 11 die 23. Maii 1846.

Sacerdotum defunctorum manibus aptari non debet calix. *Clericat.* de Sacrific. Missae dec. 50. n. 49., *Bassi* tract. de sodalitiis quaest. 5. n. 14., *Concil. Provinc. Beneventan.* 1693 pag. 61. cap. 18. cap.: Nemo 36. de Consecrat. dist. 1., *Ursaya* tom. 7. part. 2. discept. 31. cap. 23. de funeribus cum Rit. Rom. Caeremon. Ep. et Act. Eccl. Mediolanen. ibi citatis.

Parochi Superiores Ecclesiarum Saecularium et Regularium, Sacristae et alii, ad quos spectat, non permittunt debent, quod cadavera ecclesiasticorum saecularium, praesertim Sacerdotum, sicut etiam Diaconorum et Subdiaconorum transferantur ex propriis domibus ad Ecclesias, vel in istis exponantur quocumque alio habitu sive Confraternitatum sive Religionum, sed cum sacris vestibus eorum ordini convenientibus, juxta dispositionem Rit. rom. tit. de exequiis, et Clementis XI. 9. Decbr. 1705.

Canonici pluviali, planeta, dalmatica vel tunicella parati non debent deferre almutias; Canonico vero defuncto induto planeta seu dalmatica vel tunicella imponi potest almutia super brachium: S. R. C. 4. Aug. 1663 in una *Dalmatiarum*.

#### b) Paramenta.

Vd.: *Sepultura Sacerdotis def.*; *Planeta*; *Param. Episcopi def.*; *Sacerdos def.* (crux etc.).

*Ad dubium*: Cadavera Episcoporum, Sacerdotum, Diaconorum aliorumque de Clero debent sepeiri cum vestibus proprio ordini congruentibus, an sufficit ut cum his in Ecclesia exponantur?

S. C. resp.: Servetur cujusque loci consuetudo.

N. 4669 ad 25 die 12. Nov. 1831.

Cum S. R. C. innotuerit quemdam irrepsisse abusum, nempe collocandi cadavera Archipresbyterorum defunctorum occasione funerum, induta pluviali in sede, secus vero in feretro, ut praescribit Rituale rom., transscripsit: Non licere et servetur Rit. rom.

Die 21. Apr. 1736.

#### Clemens PP. XI.

Havendo la Santità di Nostro Sign. sotto li 9. \*) del prossimo passato mese fatto alcune provisioni circa le processioni de funerali e l'esposizioni de cadaveri nelle Chiese, quali di nuovo conferma, e volendo, che in tutta la funzione delli detti funerali, ed Essequie si osservi puntualmente il Rito di questa s. Romana Chiesa, ordina a tutti i RR. Parochi, Superiori delle Chiese secolari e regolari, ed in qualsivoglia modo privilegiate Sagrestani, ed altri, a chi spetta di non permettere, che li cadaveri degl' ecclesiastici secolari, particolarmente de' Sacerdoti, come anche de' Diaconi e Subdiaconi si trasportino dalle proprie case alle Chiese, ovvero in queste si esponghino vestiti di qualunque altro abito sia di Compagnie, o Religioni, mà con le vesti sagre secondo il loro Ordine in conformità della disposizione del Rituale rom. tit. de Exequiis, sotto pena alli sudetti dolla perdita di tutti ge' emolumenti funerali ed altre a nostro arbitrio.

Dato in Roma questo di 4. Febr. 1705.

(Bull. r. t. VIII. p. 251.)

Affertur Edictum, quo sub certis poenis praecipitur, cadavera Ecclesiasticorum in funeralibus Officiis exponi induta sacris vestibus eorum Ordini congruentibus et cadavera quorumcum-

\*) Vd. Edictum Clem. XI. 9. Decbr. 1704 in Bull. r. t. VIII. p. 248.

que etiam Nobilium et Magnatum deferri ad Ecclesiam cum feretro praecedente Cruce, non autem cum rhedis aliisque vehiculis.

Casero per la misericordia di Dio Vescovo di Sabina della S. R. C. Card. di Carpegna, della Santità di nostro Signore Vicario generale ec. Avendo la Santità di nostro Signore sotto li 9 del prossimo passato mese fatto alcune provisioni circa le processioni de' funerali, e l'esposizioni di cadaveri nelle Chiese, quali di nuovo conferma, e volendo, che in tutta la funzione delli detti funerali ed esequie si osservi puntualmente il Rito di questa Santa Romana Chiesa, ordina a tutti i RR. Parochi, Superiori delle Chiese Secolari e Regolari, ed in qualsivoglia modo privilegiati, Sagrestani, ed altri a chi spetta, di non permettere, che le cadaveri degli Ecclesiastici Secolari, particolarmente de' Sacerdoti, come anche de' Diaconi e Subdiaconi si trasportino dalle proprie case alle Chiese, ovvero in queste si esponghino vestiti di qualunque altro abito, sia di compagnie, o Religioni, ma con le vesti Sacre secondo il loro Ordine in conformità della disposizione del Rituale Romano tit. de Exequiis sotto pena alli suddetti della perdita di tutti gli emolumenti funerali, ed altre a nostro arbitrio.

Di più ordina la Santità sua, che nel trasportare dalle case alle Chiese li cadaveri di tutte le persone di qualsivoglia stato, grado, e condizione, anche titolate, o sia di giorno, o di notte con la dovuta licenza, si osservi parimente la disposizione del detto Rituale Romano nel tit. suddetto §.: *Constituto tempore*, che si portino processionalmente con la Croce avanti *Parocho praecedente feretrum cum luminibus*, e però proibisce di trasportarli in qualsivoglia altra maniera,

particolarmente dentro li cocchi, o carrozze, sotto pena alli Eredi in caso di contravvenzione di Scudi 500 da applicarsi in opere pie, ed al Parrocho, se ciò permetterà, della perdita delli emolumenti, che se li devono, ed altre a nostro arbitrio.

Dato questo di 4. Febr. 1705.

#### 17) Functiones prohibitae.

*S. Gelasius I. Ep. dil. fr. universis Episcopis per Lucaniam et Brutios et Siciliam constitutis.*

Nec minus Presbyteros ultra modum suum tendere prohibemus, nec episcopali fastigio debita sibimet audacter assumere, non conficiendi crismatis, non signationis pontificalis adhibendae sibimet arripere facultatem, non praesente quolibet antistite, nisi fortasse jubeantur, vel orationis vel actionis sacrae supplendae sibi praesumant esse licentiam, neque sub ejus aspectu, nisi jubeantur, aut sedere praesumant aut veneranda tractare mysteria. Nec sibi meminerint ulla ratione concedi, sine summo Pontifice, Subdiaconum aut Acolytum jus habere faciendi, nec prorsus addubitem, si quisquam ad episcopale ministerium specialiter pertinens suo motu putaverint exequendum, continuo se Presbyteri dignitate et sacra communione privari. Quod fieri necesse est, censeamus, si eorum Praesule deferente, hujusmodi fuerit praevericatio comprobata, nec ipso eorum Episcopo a culpa conniventiae et ultione vacaturo, si immoderata facientem dissimulaverint vindicare.

Die 11. Martii 494.

(Bull. r. t. I. p. 103. n. 8. Ed. Aug. Taur. 1857.)

#### 18) Graecus.

Vd.: *Ritus graecus*; *Ordinatio Graecor*



## 19) Habitus, Honestas et Mores.

Vd.: *Habitus Clericor.* — *Constit. Clem. XI.* die 7. Decbr. 1706 (Bull. r. t. VIII. p. 252. Ed. Luxenbg.); *Seminar.* (erectio); *Talaris*; *Taberna*; *Visitatio* (Clericorum, Presbyt., Beneficiat.).

## Clemens PP. XIII.

§. 1. Cum primum incomprehensibili Pastoris aeterni iudicio in b. Petri Cathedra constituti Dominici Gregis curam suscepimus ecclesiastico zelo ferventes viros, praesertim animarum pastores et Verbi Dei praecones, qui civitates atque provincias peragrant, poenitentiam populis et morum emendationem indicentes, quorum unanimis conquestio fuit, inter abusus et corruptelas, quas pro ministerii sui officio notarunt, pro viribus reformare studuerunt, reprehendam sibi frequenter occurrisse quorundam Ecclesiasticorum avaritiam habendique cupiditatem. Quae quoniam malorum omnium radix a Spiritu S. appellatur, nil mirum, si eos omnes, quorum semel animos imbuunt, ut in atrociora crimina non abripiat, talem in Dei cultu propriaeque vocationis muneribus obeundis socordes reddat et ad saecularia desideria conversos mundanis addicat curis et occupationibus, quibus abrenunciare se publice adixerunt, quum inter sacrae initiationis mysteria solum Deum haereditatis suae partem agnoscere professi sunt. Hinc etiam litigiosi necessario fiunt atque omnia miscere parati, ne vile aliquod lucrum sive speratum sive jam partum amittant. Hinc se ad abjecta qualibet officia et mysteria, in gradus et ordinis sui dedecus, demittere non erubescunt. Quo fit, ut laicorum plerique non eos ipsos dumtaxat, qui talia agunt, sed saepe etiam universum Ecclesiasticorum coetum contemnunt; quin et amaro aversoque animo sint erga illud hominum genus, quorum

lites et contentiones, ob temporalia negotia, sustinere coacti sunt, vel a quibus praecepta sibi viderunt honesta media, per quae suae suorumque sustentationi consulere potuissent.

§. 2. Horum relationibus, quas satis superque veritati innixas existimamus, quibusque nonnullos etiam designari censemus Regulares viros, qui aliquando ab imposita sibi sollicitudine de temporalibus communitatum suarum emolumentis, ultra ecclesiasticae moderationis fines ferri se sinunt, excitari Nos quidem intelleximus, ut apostolica, qua immerentes fungimur, auctoritate hujusmodi corruptelam, unde fideles populi scandalum aliisque noxii consequuntur effectus, de medio tollere satageremus.

§. 3. Verum quum ab ipsis Ecclesiae incunabilis usque ad haec nostra tempora, nihil apertius, nihil districtius aut Conciliorum Decretis aut Praedecessorum Nostrorum rom. Pontificum Constitutionibus statutum legatur, nihil a sanctis Patribus Ecclesiarumque Pastoribus frequentius aut impensius inculcatum appareat, quam ut Ecclesiae Ministri, cum Clerici tum Monachi, a temporalium lucrorum cupiditate abstinere et a saecularium negotiorum sollicitudinibus arcere se debeant: cumque non solum spirituales censurae, sed etiam gravissimae temporales poenae in eos decretae fuerint, qui canonicas regulas hac in re infringere aut violare praesumerint, omnibus mature perpensis nihil Nobis relictum esse judicavimus, nisi ut vos, VV. Fratres, de constanti enixaque voluntate Nostrae, Praedecessorum Nostrorum menti Ecclesiaeque spiritui per omnia inhaerentes, commonefactos, paternis fraternisque hortationibus excitaremus, ut debitam sacrarum legum observationem ab omnibus Ecclesiasticis tam ordinariae vestrae quam delegatae vobis jurisdictioni subjectis ad

formam sacr. Canonum et Decretorum apostolicae Sedis ac respective Synodaliun uniuscujusque dioecesis statutorum exigere studeatis ac reipsa obtinere curetis.

§. 4. Ut igitur clarius innotescat perpetuum Nostrum et apost. Sedis studium, pro religiosa praedictarum legum custodia simulque vis omnis adimatur contrario cuilibet usui, stilo aut consuetudini (quae corruptelae potius et abusus servata legitima vocabulorum proprietate appellari debent), quibus Ecclesiastici quicumque criminosa suam in negotiis curisque saecularibus immixtionem obtegere aut excusare contenderent; Nos omnes et singulas canonicas leges et romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum Constitutiones adversus Clericos negotiatores et saecularibus negotiis sese immiscentes praesertim a Pio IV., Urbano VIII. et Clemente IX. latas atque editas, usque ad novissimam, quam s. m. Decessor Noster Benedictus \*) PP. XIV. sub dat. 5. Kal. Martii 1741 Pontificatus sui anno I. evulgavit, cum omnibus item et singulis poenis atque censuris per eas respective indictis, perinde ac si Decreta omnia in praemissis contenta eorumque poenales sanctiones praesentibus Nostris literis de verbo ad verbum inserta forent, per easdem praesentes approbamus, confirmamus et innovamus, decernentes ac declarantes, praedictis omnibus legibus ac poenis subiecti et subjectas censi debere omnes et singulas personas ecclesiasticas, non solum e saeculari Clero sed etiam e regulari, cujuscumque sint ordinis, societatis et instituti, amplissimis licet et singularibus indultis, privilegiis et exemptionibus muniti, et cujus etiam expressam et individuum mentionem fieri oporteret; ita ut quicumque adversus

hujusmodi leges deliquerint, statutas in ipsis poenas incurrant ac respective ab iis, ad quos pertinet, juxta casuum distinctionem et procedendi methodum alias a Trid. Synodo seu ab ap. Sede praescriptam, cum effectu mulctari et puniri debeant, non obstante contrario quolibet usu, stilo aut consuetudine, etiam immemorabili, quae aliquo in loco, dioecesi aut regione inolevisse dici posset; quam quidem Nos veluti damnabilem abusum et imperscriptibilem corruptelam earundem praesentium tenore damnamus, proscribimus et viribus omnibus vacuumus.

§. 5. Deinde vos omnes, VV. Fratres, hortamur et in Domino obsecramus, ut pro ecclesiasticae disciplinae integritate et animarum salute advigilantes, in Clericorum omnium vobis tam ordinario quam delegato jure subjectorum agendi rationem sedulo inquiratis, ac si quos forte hujusmodi avaritiae labe infectos adversus Canones et apostolicas Constitutiones peccasse compertis, in eos, ad formam eorumdem Canonum et Constitutionum cum omni severitate, etiam ex officio, procedere non omittatis.

§. 6. In quo sane duo vobis magnopere cavenda erunt: Primum videlicet, ne subdolis delinquentium artibus diligentiam vestram eludi patiamini. Saepe enim contingit, ut qui legum scita non ignorant, res suas ita fraudulenter componant, ut, quatenus eorum crimen in judicium adducatur, tueri possint, se nihil contra leges ipsas admisisse. Modo enim, interposita alterius, sibi suaeque cupiditati inservientis, persona aut alieno nomine tabulis et rationum libris inscripto, negotiationem aut conductionem, de qua quaeritur, ad se nequaquam pertinere contendunt: Modo, scientes intra quos fines districtiorum legum censura coerceatur, ita se gerere studebunt, ut si de lucrosis quaestibus a Superiore arguantur, defendere

\*) Vd.: *Habitus* etc. (Clericorum).



possint, non se turpi cupiditate ad-ductos, ad lucrum captandum primario animum intendisse, sed provido consilio de damno vitando unice laborantes, insperatum emolumentum fortuito temporis beneficio adeptos fuisse. Aliquando etiam non sua sed suorum aut sanguinis aut alio necessitudinis vinculo sibi conjunctorum, bona, negotiationibus implicita, ad eorum sustentationem, ex charitatis officio et directionis titulo procurare se praedicabunt.

§. 7. Quamvis autem propria etiam experientia in episcopalis officii muneribus obeundis satis edocti simus, quam difficile sit iudicium ferre de peculiaribus quibusdam casibus, in quibus potiore sibi partem vindicat bona vel mala fides illius, qui de illicita negotiatione accusatur, non ideo tamen censere debetis, diligentiam vestram omni effectu vacuum fore, ubi saltem Ecclesiastici intelligant, vos minime conniventes esse super hujus gravissimi eccles. disciplinae capitis violatione. Magnum enim fructum capietis ex eo ipso, quod vestram Ecclesiaeque mentem ab obscurioribus etiam eorum praevaricationibus abhorrentem saepius testatam facietis, iisdemque oblata opportunitate graviter denunciabitis, haud irrideri Deum, qui hominum renes et corda scrutatur, nihilque apud supremum illius tribunal profuturas aliquando cavillationes, quibus nunc Ecclesiae Praesulem decipere indictasque legibus poenas declinare satagunt. Caeterum non omnino impossibile erit latentem rei veritatem plerumque agnoscere occultumque crimen revincere, si debita cura atque solertia expendantur hominum mores, qui ex universo eorum vitae tenore se produnt rerumque et casuum adjuncta, quae allatas excusationes probabilis admittendas rejiciendasve suadent. Id quod exem-

plis illustrare facile possemus, nisi de fraternitatum vestrarum sapientia et rerum usu, quantum par est, in Domino confideremus.

§. 8. Alterum vero, quod aequae cavere debetis, illud est, ne pravas canonicarum legum interpretationes, quibus earum rigor enervatur aut indulgentia praeter fas extenditur, praeter mentem et spiritum Ecclesiae, ex privato pinionibus adinventas et sine legitimi superioris assensu ad proprii cuiusque casus opportunitatem accommodatas, apud vos ullo modo valere sinatis, ubi Clericorum saecular. aut regularium negotiationem, vobis iudicibus, ad trutinam revocari contingat. Si enim quaestio sit de ipsa natura contractus, qui aliqua in dioecesi ab Ecclesiasticis iniri soleat, an scilicet ipsis licitus vel potius interdictus censeri debeat, haud aequum erit pro iudicandi norma accipere vel frequentiam ipsorum actuum, de quarum natura quaeritur, vel ipsam contrahentium opinionem, sed ad tollenda dubia reprimendamque opinantium licentiam et audaciam, expeditissima erit via recurrendi ad hanc apost. Sedem, quae sicuti alias complures hujus generis quaestiones per organum praesertim Congregationis S. R. E. Cardinalium Concilii Trident. interpretum definivit, ita etiam in posterum quid de propositis casibus sentiendum sit, devenire non omittet, idoneis editis responsis, ex quibus agendi iudicandique regula desumi valeat.

§. 9. Quo in genere, quum acceperimus, perspicuam nostram et apostolicae Sedis declarationem desiderari super eo: *an Clericis liceat Cambium activum contrahere*; quamvis non aliam fere rem dubitationi minus subjectam putemus, nihilominus, ad omnem causandi occasionem amputandam, praesentium literarum tenore declaramus ac definimus, Cambium

activum natura sua esse actum verae et propriae negotiationis, ideoque Ecclesiasticis omnibus vetitum censeri debere tam proprio nomine quam per interpositam personam illud contrahere; quicumque vero e saeculari vel regulari Clero Cambium activum contraxerit, omnibus obnoxium fieri poenis atque censuris, quae in Clericos negotiatores constitutae noscuntur.

§. 10. Si autem Ecclesiasticorum quispiam ad se excusandum, quod saecularibus negociis se immisceat, necessitatem proferat indigentiae, non quidem suae (quandoquidem unicuique Clerico, canonicus ordinationis titulus vel saltem congruum sufficiens patrimonium esse debet, quo se sustentet, iisque forsitan deficientibus debet ipse honestioribus artibus suaequae professioni conformibus propriis necessitatibus consulere), sed aut parentum aut sororum aliarumque personarum, quibus ex naturalis officii debito opem ferre teneatur, primum volumus atque decernimus, hujusmodi excusationem a Superiore ecclesiastico nequaquam admitti, eidem Clerico minime suffragari posse, quominus ad canonicae legis praescriptum pro modo culpae puniatur, nisi doceat se antea praefatas necessitates apost. Sedi, si intra Italiam et insulas adjacentes existat, si vero in remotioribus regionibus versetur, saltem Ordinario loci exposuisse, earumque intuitu opportunam dispensationem et facultatem praedictas personas industria sua juvandi vel ab eadem apost. Sede vel respective ab Ordinario impetrasse.

§. 11. Deinde, pro eo quod pertinet ad hujus Curiae nostrae Officia, notum facimus, nostram mentem et voluntates nunquam concedantur, nisi cum ea conditione, quatenus adductae causae veritati nitantur, et nisi simul constet praedictas indigentias nulla alia ratione levare posse, eoque etiam

casu nunquam Ecclesiasticis permittatur ejusmodi negotiationis genus assumere, cujus administratio clericalem statum et characterem dedecet; quin immo in ipsis Indultorum rescriptis et literis indicentur ac praescribantur honestiores modi, quibus Clericus, justa moderatione servata et intra veram indigentiae mensuram pauperibus consanguineis opem praestare valeat. Quae omnia similiter Ordinarii, ad quos pertinet, in hujusmodi dispensationibus et facultatibus concedendis observare debent: Hoc insuper advertentes, ne ea, quae vel ab ipsis vel ab ap. Sede, peculiaribus quibusdam Clericis hoc in genere aliquando permessa et justis concurrentibus causis, frequentius forsitan indulta dignoscuntur (exempli gratia, ut Ecclesiarum fundos, certa annua pensione conventa colendos exercendosque conducerent); eadem a reliquis Ecclesiasticis, tamquam generaliter omnibus concessa, absqua justa causa et sine speciali Indulto usurpentur.

§. 12. Caeterum facultates ipsas, etiam ut supra dictum est, obtentas, semper quoad tempus revocationi obnoxias censeri decernimus, ita ut pro irritis et revocatis ipso jure habeantur, quoties allegatae Conjunctorum indigentiae cessaverint vel alia legitima se offerat ratio iisdem opportune prospiciendi. Super quorum omnium executione et observantia Ordinariorum localium vigilantiam atque conscientiam onerari volumus et re ipsa oneratam fore denunciamus.

§. 13. Verum non uni dumtaxat negotiationi tribuenda est, quae nunc temporis cernitur ecclesiasticae dignitatis depressio. Sunt alii quidam abusus, quibus ecclesiastici viri proprium decorem totiusque coetus et ordinis existimationem eo frequentius atque securius abjicere dignoscuntur, quod eos norunt non tam aperte adversari



literae ss. Canonum et Constitutionum ab apost. Sede editarum, proindeque se censuris et poenis ibidem statutis nequaquam subiciendos fore confidunt. Plurimi enim, ut ex praedictorum relatione cognovimus, in ipsa bonorum suorum administratione eorumque cultura, in distractione fructuum, animalium et caeterorum, quae in propriis ecclesiaeve fundis enascuntur seu aluntur, necnon in comparandis rebus, quae vel ad proprios usus vel ad fundos praedictos instruendos sunt necessaria, adeo indecoris actibus se ipsos exercere conspiciuntur, adeo se totos curis et solitudinibus hujus saeculi deditos ac temporalibus lucris inhiantes ostendunt, ut, qui sacrae dignitatis praestantia supra humanae conditionis sortem ejecti merito reputantur, infra ipsos abjectissimi status homines sese demittant, et qui filii lucis esse et apparere deberent, saeculi filios terrena aviditatis anxietate superare videantur. Hos ajebant, omnibus Nundinis atque Mercatibus, laicali prope modum apparatu ac specie se sistere, nec quidquam minus, quam clericalis moderationis atque modestiae vel ecclesiasticae decoris et gravitatis specimen praeferre.

§. 14. Quibus nos quidem palam edicimus, nihil per Nos interdictum iri, quod ipsis, pro recta et provida ecclesiastici Patrimonii administratione, quoad ipsam actus naturam, permissum dignoscitur, vel etiam a s. Patribus et eccles. legum Conditoribus eorum diligentiae commendatum. Verum sicut alia complura sunt, quae Clericis quoad rei substantiam non prohibentur, et tamen eorum usus sub certis dumtaxat modo et forma iis permittitur, iis autem, qui praescriptum modum excesserint statutamque ecclesiasticae disciplinae formam violaverint, tum temporales poenae tum etiam spirituales censurae a s. Cano-

nibus infliguntur; cujus rei innumera exstant exempla in gener. canonici juris legibus ac etiam in peculiaribus dioecesium statutis, quae plura de vita et honestate, de habitu et tonsura Clericorum sive observanda sive vitanda praescribunt: ita Vos, VV. FFr. oportet, Ecclesiasticorum omnium, qui in dioecesibus vestris versantur, agendi rationem circa praemissa circumspicientes, si quid Vobis constiterit frequentius ab iis admitti, quod clericalem statum dedecet, non solum eos idoneis instructionibus docere, ut collatae sibi dignitatis celsitudinem cogitantes non sibi licere putent indecoris actibus eam deturbare debitamque eccles. ordini existimationem et reverentiam, quae etiam spiritualibus populorum utilitatibus plurimum prodest, ex laicorum animis abolere; utque memores se in sortem Domini vocatos esse, non tam quae sua sunt, quam quae Jesu Christi, quaerant et curent: sed praeterea, quatenus opus esse noveritis, opportunis Decretis conditis ac severioribus Edictis propositis, ejusmodi Clericorum trupiditini et cupiditati obviam ire ac delinquentium culpas, habita minoris majorisque scandali ratione, nunc quidem increpando arguere, nunc autem salutaribus poenitentis emendare, nunc demum districto poenarum ac etiam censurarum gladio ad caeterorum exemplum coercere et punire.

§. 15. Et parem quidem vel etiam majorem pastoralis zeli Vestri sollicitudinem atque constantiam requirit aliud corruptelae genus, quod plures ecclesiasticos viros inficere et ab Ecclesiae servitiis abductos ad saeculi curas convertere accepimus. Sunt enim, qui industriam operamque suam, quam totam divino cultui et proximorum utilitatibus ex charitatis lege impendere deberent, Laicorum obsequiis adjectisque servitiis addicere, aliquando etiam

eorum negociis administrandis curandisque, pro temporali, eaque satis vili mercede, locare non recusant. In quo difficile est judicare, an magis defenda sit eorum caecitas, qui proprii gradus dignitatem ipsi proculcant, an potius reprehendenda sit Laicorum praesumptio, qui Sanctuarii Ministros, a quibus christiana vitae documenta aeternaeque salutis subsidia petere deberent, tam parvipenderunt, ut eis in domesticis officiis sibi dicto audientes, servilibus ministeriis adhibere non vereantur.

§. 16. Verum quod altius animum nostrum sollicitat, illud est, ne forte hujusmodi malum ex alio non minus detestabili abusu profluat; quod nempe aliquibus ad clericalem statum temere adspirantibus quandoque contingat fallacibus corruptisque documentis Ordinarium suum decipere confictoque sibi patrimonio, cujus fructus aut nulli sint aut ad ipsos non vere pertingant, ad sacros Ordines absque redditibus ad honestam vitae sustentationem sufficientibus promoveri. Quare nequis Vestrum miretur, VV. FFr., si hac occasione arrepta, Vos omnes et singulos enixe hortamur atque monemus, ut cautiores hac in re oculatioresque Vos praebatis, ne cui Subditorum Vestrorum detur ad sacr. Ordinationem obrepere, qui ex beneficio ecclesiastico vel ecclesiastica pensione aut ex patrimonio sibi constituto, in casibus a jure permissis, omni submota collusionione ac fraude, eam reipsa non percipiat annui redditus summam, quae Synodalibus cujusque dioecesis statutis aut legitima consuetudine definita dignoscitur.

§. 17. Clericos autem et Sacerdotes in laicorum domibus ejusmodi ministeriis addictos, quae eorum gradum et professionem dedecent, quaeque eos a divinis obsequiis et propriae perfectionis cultura ad illiberalium

occupationum et saecularium negotiorum agitationem traducant, quantumvis honestioribus in speciem titulis susceptum servitii genus aliquando obtegere adnitantur, ne patiamini quietas in suo dedecore insordescere aut forte obfirmatos de sua ab Ecclesiae castris defectione impune gloriari, sed omni pastoralis sollicitudinis studio, et quatenus opus sit, tota ordinariae ac delegatae jurisdictionis auctoritate servatis servandis eosdem ad ecclesiasticae vitae instituta et ad clericalis militia munera revocare curetis.

§. 18. Haec sunt, VV. FFr., quae pro apost. ministerii Nostri officio ad eccles. Ordinis honestatem dignitatemque tuendam et vindicandam sollicitudini Vestrae suggerenda enixeque commendanda judicavimus. Hac enim in re, quae ex peculiaribus actionum circumstantiis maxime pendet, Vestras omnino partes primas esse oportet, utpote qui Subditorum Vestrorum facta eorumque adjuncta, regionum necessitates et personarum mores, quidque apud prudentes et probos viros, honesti aut indecori speciem habeat, in singulis locis praesentes constitui et melius agnoscere et securius aestimare potestis. Ut autem liberum Vobis sit in hoc rerum genere inordinata quaeque corrigere et reformare, quodcumque dispensationis aut facultatis Indultum circa praemissa a quolibet romanae Curiae Officio haecenus concessum, prudenti arbitrio Vestro moderandum permittimus, nullum vero imposterum concedi volumus, nisi auditis prius Fraternalitatum Vestrarum relationibus et votis adjectisque eidem Indulto ejusmodi formulis et conditionibus, per quas integrum Vobis relinquatur arbitrium de illius exequutione et effectu ita cognoscendi, ut nemini Ecclesiasticorum liceat, illius praetextu negocium ullum aut ministerium minus honestum contra interdictum Vestrum